

17. *Secunda conclusio: privilegia quæ non amittuntur per non usum.* — Dico secundo: privilegia quæ non cedunt in aliorum gravamen, sed sunt favores speciales circa modum operandi absolutum ipsius privilegiati, non amittuntur per non usum, vel aliorum præscriptionem, possunt tamen per tacitam renuntiationem amitti, si interpretatio talis voluntatis sufficienter ex jure constet. Priorem partem negantem mihi sufficienter probant argumenta facta in principio hujus puncti, quia intelligi non potest in his privilegiis præscriptio aliorum contra illa, cum ipsa alios non respiciant, vel illos non gravent, ut supponimus; multoque minus potest talis præscriptio intelligi in ipso privilegiario, ut etiam ostensum est. Addidi vero posteriorem partem, quia sumpta de possibili negari non potest, cum sæpe voluntas tacita moraliter æquivalere expressæ. Dixi autem necessarium esse ut intercedat aliquod jus (utique commune, vel speciale) ita interpretans voluntatem privilegiarii, quia solus non usus non est signum certum et infallibile talis voluntatis, et ideo per se non potest sufficere sine adminiculo juris ad tollendum privilegium, quia non usus in tali casu solum se habet ut indicium voluntatis; ergo si revera in re non fuerit talis voluntas, quia privilegiarius non ex illa, sed propter alias occasiones privilegio usus non fuit, non erit sufficiens non usus ad renuntiationem vel amissionem privilegii, nisi jure et voluntate principis juvetur, quia deest voluntas propria privilegiarii, quæ sola posset esse causa talis effectus, non interveniente superiori voluntate. An vero de facto inveniatur tale jus quoad hæc privilegia, dicam in duobus punctis sequentibus.

18. *Quid operatur jus statuens ut privilegium per non usum amittatur.* — Solum hic adverto, etiamsi jure statutum sit ut privilegium aliquod per non usum amittatur, nihilominus non amitti per tacitam renuntiationem, sed quia cum limitata conditione fuit concessum, qua non impleta, vel ab ipso jure aut a concedente tollitur, vel certe per se cessat per lapsum temporis ad modum explicatum in cap. 28 et sequentibus. Declaratur hoc optime in privilegio nundinarum, quod per non usum in decennio amittitur, quia lex 1, ff. de Nundinis, ita statuit. Qua lege posita, constat tale privilegium sub tali conditione concedi, et illa non impleta, vel per se cessare, vel virtute illius legis auferrî. Cujus etiam signum est, quia fieri potest ut tale

tempus elabatur sine advertentia privilegiarii, quia postea plurimum doleat de amissionem privilegii; ergo signum est non esse necessariam renuntiationem propriam, sed ab extrinseco tolli vel per se extingui privilegium ex vi formæ concessionis, aut speciali et expressa, vel subintellecta ex vi juris communis. Qui modus loquendi probabilissimus est, et posset ad alios casus extendi; nam recte explicat amissionem privilegii, et res eodem revidit. Sed nihilominus, per se ac moraliter loquendo, satis convenienter illa vocatur tacita renuntiatio, quia is qui non utitur privilegio non obstante illo jure, moraliter convincitur nolle illud, saltem virtute et interpretative. Nam quod inadvertentia intercedat, accidentarium est; an vero, si inculpabilis sit, possit hunc effectum impedire, dicam in punctis sequentibus.

19. *De tempore requisito ut privilegium per non usum amittatur.* — Tertio, igitur inquiri potest quanti temporis non usus necessarius sit et sufficiat ut per illum privilegium amittatur. In quo fere communis sententia est decennium sufficere et requiri. Ita docet Bart. in l. *Falso*, c. de Divers. rescrip., ubi etiam Jason late; idem Bart. in leg. 1, ff. de Nundin., ubi alii communiter. Idem Panorm., Dec., Felin. et alii in c. *Cum accessissent*, de Const.; Rebuff. in Pract., tit. de Differ. inter privilegium et rescript., n. 41; Mand. in d. tract. de Privil. ad instar., Gloss. 11, n. 5; Balb., dict. tract. de Præscript., in 4 part. quintæ partis princip., q. 4, ubi plures alios refert, cum variis limitationibus, quas Felin. et alii etiam adhibent. Et omnes fundantur tantum in dicta lege prima, ff. de Nundin., quia ex solo jure naturali non potest tale tempus determinari, ut per se notum apparet, et in jure positivo alia determinatio non invenitur.

20. *Ut alius contra privilegium præscribat, nullum tempus determinari in ipso non usu.* — Mihi tamen imprimis videtur quoties per non usum privilegium amittitur, quia alius contra privilegiarium præscribit, nullum tempus esse determinatum in ipso non usu ad amittendum privilegium, seu ex parte privilegiarii, sed illud tempus necessarium esse ac sufficere, quod ex parte alterius tertii fuerit determinatum ad præscribendum contra hunc vel illum, quod solet jure ordinario decem annorum inter præsentem, vel viginti inter absentes, vel extraordinario ac speciali jure requiritur tempus triginta vel quadraginta annorum, ut de

monasteriis significatur in dict. capit. *Cum accessissent*, ubi Joan. And. et alii id notant, et Felin. ait generaliter procedere in Ecclesiis seu locis piis juxta generalem regulam textus in Authent. ultim., c. de Sacros. Eccles., et cap. *Illud*, de Præscript., cum similibus. Ratio autem assertionis est, quia in hujusmodi casu privilegium non amittitur formaliter per non usum, sed vi præscriptionis alterius contra personam non utentem: ergo illud tempus sufficere et requiretur ex parte non usus ad amissionem privilegii, quod fuerit legitimum ad præscribendum contra privilegiarium, tali conditione supposita; ergo non potest in his privilegiis certior regula præscribi.

21. *Quid de privilegiis contra quæ ab aliis non præscribitur.* — Secundo, dicendum est in privilegiis absolutis contra quæ ab aliis non præscribitur, non esse certum tempus jure definitum, intra quod per non usum amittantur, ideoque generalem regulam esse talia privilegia per nullius temporis non usum amitti, etiamsi longissimum sit, in casibus vero jure expressis amitti tempore pro eis definito. Prior pars assertionis constat, quia hæc privilegia non amittuntur per modum præscriptionis, ut jam declaratum est: ergo non possunt ad illa applicari tempora præscriptionum; seclusa autem præscriptione, nullum assignabitur generale jus quod certum tempus statuatur, in quo privilegium amittatur per se ac formaliter per non usum: ergo. Minor probatur, primo, quoad jus canonicum, quia canones nunquam loquuntur de amissionem privilegii per non usum, sed per contrarium usum, ut capite sequenti videbimus: unde licet circa tempus contrarii usus aliquid definiunt, quod postea videbimus, illud non potest ad purum non usum, de quo solo nunc loquimur, applicari: tum quia materia est odiosa, in qua non licet leges extendere, aut de casu ad casum similem transferre; tum etiam quia longe major ratio est cur tollatur privilegium per contrarium usum quam per non usum. Unde canones loquentes de contrario usu fortasse locum habent in omnibus privilegiis, tam absolutis quam respectivis, cum tamen amissio per non usum per se non habeat locum in privilegiis absolutis, ut diximus. In jure item civili non invenio legem quæ universaliter de hoc tempore disponat. Solum enim a doctoribus allegatur dicta lex 1, ff. de Nundin.; lex autem illa non loquitur generaliter de privilegiis,

sed in particulari de privilegio nundinarum: ergo ex illa non potest generalis regula sumi pro omnibus privilegiis absolutis vel respectivis quæ alios non gravant, ut statim dicam.

22. *Si jus positivum non limitat tempus, non est unde limitetur.* — Hinc ergo concludi potest altera pars assertionis. Nam si jus positivum non limitat tempus, non est unde determinetur: ergo nullum tempus sufficere, nisi ubi in particulari lex illud determinaverit. Quod semper intelligendum est de privilegiis simpliciter loquentibus: nam si in eis addatur limitatio, seu postuletur usus certi temporis, ut valeant vel durent, clarum est illa amitti per non usum in tempore in ipsis præscripto, quia voluntas concedentis non plus extenditur. At vero in privilegiis absolutis et absolute loquentibus, procedit regula negativa generalis, ut ostensum est, cum dicta exceptione de casibus in jure expressis. Quæ maxime additur propter dictam l. 1, ff. de Nundin., quæ videtur jus speciale continere, non generale. Quia privilegium nundinarum respectivum potius videtur quam absolutum, quia versatur circa humanam negotiationem et mercaturam, eisque certum locum determinat cum aliquibus favoribus privilegiarii: negotiatio autem et mercatura est actio quæ circa alterum versatur. Unde ex tali privilegio alii gravantur mercatores qui aliquid solvere coguntur domino loci, quantum illi privilegium concedit, juxta l. 7 Hispaniæ, tit. 8, p. 5; vel alii populi in quorum præjudicium redundat illa loci determinatio, ut sensit Glos. in eadem l. 1, dicens: *Qui impetrat nundinas, in præjudicium universorum facit, et ideo breviori tempore privilegium amittit*; et idem habet Glossa in l. *Falso*, verb. *Perennia*, c. de Divers. rescrip.; et Archid. in c. 1, 25, q. 2; unde dici facile potest etiam illud privilegium amitti per non usum propter præscriptionem aliorum quorum interest talis privilegii abolitio. Vel certe licet demus ibi non intervenire præscriptionem, sed puram cessationem privilegii per non usum pro tempore ibi definito, nihilominus jus illud non erit extendendum extra casum in quo loquitur, quia lex illa est odiosa et restringenda; tum quatenus obligat ad non usum privilegii intra certum tempus, quod est præter naturam privilegii, quod liberum ac voluntarium usum de se concedit, juxta leg. *Si judea*, ff. de Minor.; tum quatenus limitat privilegium ad certum modum et conditionem, etiamsi absolute et simpliciter videatur concessum: unde fit ut

privilegium quod ex vi verborum esset absolutum et de se perpetuum, reddatur conditionale, et temporale ac caducum ex defectu conditionis inclusæ ex vi illius juris; tum etiam quia potuit illa esse determinatio specialis pro illa materia propter specialem rationem in illo inventam, ut senserunt Glossæ proxime allegatæ cum Archid. et Alberic. in dicta l. *Falso*, et probabile reputat Decius in dicto cap. *Cum accessissent*; ergo extra illum casum, vel si quis est similis, generalis regula est, privilegia contra quæ non præscribitur ab aliis non amitti propter purum non usum, cujuscumque temporis sit, quod magis in ultimo puncto confirmabitur.

23. Contra hanc vero partem obstare videtur lex Hispaniæ in partit. 3, tit. 18, l. 42, quæ, distinguens generaliter privilegia negativa quæ onus auferunt, ab affirmativis quæ aliquid speciale facere permittunt, de his posterioribus specialem regulam statuit, per non usum decem annorum amitti. Et præter exemplum Nundinarum quod primo loco ponit, adhibet alia, scilicet, privilegium vendendi aliquid prohibitum, vel extrahendi a regno merces vetitas, vel utendi speciali mensura in rebus vendendis; ergo signum est, illam temporis determinationem esse generalem pro omnibus privilegiis negativis. Et ita sensit Greg. Lop. ibi, et juxta illam legem intelligit legem primam, ff. de Nundinis, et solum remissive addit limitationes quas Felin. et alii posuerunt.

24. *Responsio ad legem Hispaniæ allegatam.* — Sed imprimis dico jus illud non esse commune, sed proprium Hispaniæ, et ideo per se et vi sua non habere locum extra illud regnum. Deinde considero illa exempla omnia quæ lex illa adducit, esse fere ejusdem rationis cum nundinis: nam omnia redundant in gravamen regni, aut communitatis, aut emptorum, et ideo probabile est in illo non usu intervenire præscriptionem ex parte aliorum, vel certe specialitatem illam quæ considerata est in nundinis ad similia extendi per modum novi juris, vel per modum declarationis juris communis. Atque ita non colligitur, ex illa, regula generalis pro omnibus privilegiis absolutis, sed tantum pro his respectivis quæ fuerint talis generis seu conditionis. Pro quo expendo ultima verba generalia quæ lex illa post exempla subjungit, scilicet: *O otras cosas qualesquier, quæ fuesen destas maneras, tales privilegios como esos duran, etc.*, id est, *vel res similes quæ hujusmodi sint: nam talia privilegia, qualia sunt ista, durant, etc.*, et in

eis considero restringi illam conditionem et temporis determinationem ad privilegia ejusdem rationis et modi, quæ circa materias talis conditionis versantur; ergo inde licet potius colligere generalem regulam in contrarium, scilicet alia privilegia quæ hujusmodi non sunt, sed omnino absoluta, vel sine illo gravamine aliorum, non habere talem modum destinationis, neque in eis habere locum talem temporis determinationem.

25. *Lex prædicta magis perpenditur.* — Tandem circa eandem legem consideranda esse censeo verba quibus illa conditio adhibetur, et tempus præscribitur. Nam videtur ibi illa limitatio poni longe aliter quam communiter soleat intelligi. Auctores enim allegati absolute asserunt privilegium amitti per non usum decem annorum, et non limitant certum tempus, vel initium ejus a quo computandum sit illud decennium, sed absolute et universaliter videntur intelligere computandum esse ab ultimo tempore in quo aliquis est usus privilegio, seu a primo non usu post quem nullus usus successit. Juxta quem sensum, licet aliquis in principio concessionis usus fuerit privilegio per multum tempus, si postea interrumpat usum per integrum decennium, amittit privilegium. Et huic sensui occasionem præbuit dicta lex 1, ff. de Nundin., nam absolute dixit: *Nundinis imperialis a principe non utendo, qui meruit, decennii tempore usum amitti.* Ubi nullum initium illius decennii assignatur. At vero in dicta leg. Partitarum, initium præscribitur hoc modo: *Hæc privilegia perpetuo durant, si quis illis utatur intra decennium a die concessionis computandum; si autem intra illud tempus illis non utatur, deinceps amittuntur, et valere non debent.* Et idem aperius explicatur in l. 3, tit. 7, partit. 5, his formalibus verbis: *Otrosi decimos, que si algun home, o concejo ovieren privilegio, que pueda hazer feria nueva, a si como dicho es, e despues, que lo ovieren, pasaren diez annos, que non usen del, que de alli en adelante no les deve valer,* quæ facile ex superioribus intelliguntur. Et juxta illa solum videtur amitti tale privilegium nundinarum, vel simile, quando per totos integros decem annos post diem concessionis privilegiarius illo non utitur, quia hoc solum lex illa disponit. Unde, e converso, sequitur quod si intra illud decennium quis utatur tali privilegio, postea non amplius amittitur per solum non usum, sive in decennio, sive in quocumque alio tempore, quia de hoc lex illa nihil disponit, et extendenda non est ultra id

quod præcise statuit; tum quia, ut dixi, materia est odiosa; tum quia potest habere specialem rationem, et congruentiam quoad illam partem; nam privilegii possessio videtur capi corporaliter et realiter per aliquem usum privilegii, et ideo qui per primum decennium privilegio non utitur, toto illo tempore est sine possessione privilegii, ideoque merito statuit illa lex ut contra illum præscribatur, vel ut concessio privilegii amplius non valeat. Qui autem intra illud tempus privilegio concessio utitur, illud possidet, et magis proprium efficit, et ideo non tam facile illo privatur. Qui sensus est probabilis, et secundum illum posse intelligi dictam legem primam, quia illi non repugnat, existimo; tamen priorem esse communem et usu receptum, et ideo illi standum esse.

26. *De amissione privilegii, in quo foro intelligenda.* — Quartum dubium erat, an hæc amissio privilegii per solum non usum intelligatur esse in foro exteriori tantum, vel etiam in foro conscientiæ, etiamsi revera privilegiarius non habuerit animum aut voluntatem renuntiandi privilegio. De quo dubio nihil invenio ab auctoribus dictum, cum tamen difficultate non careat. Quia hinc tota hæc juris dispositio videtur in præsumptione fundata, scilicet, quia ille qui non utitur privilegio, censetur illud renuntiare; ergo si veritas non est præsumptioni conformis, non obligabit jus illud in conscientia. In contrarium vero argui potest, quia præscriptio dat et aufert jus, etiam in conscientia.

27. *Quando jus legitime præscribitur contra aliquod privilegium, in utroque foro deperditur.* — Igitur juxta hæc principia recte applicata in hac materia, et juxta distinctionem supra datam breviter potest hæc res definiri. Primo enim, quando privilegium amittitur per non usum, quia alius legitime contra illud præscribit, non solum perditur quoad externum forum, sed vere et in re ipsa, ac subinde in conscientia sine ulla condemnatione vel declaratione facta in foro contentioso, quando privilegiario sufficienter constat de legitima aliorum præscriptione. Hæc assertio supponit principium in materia de Justitia receptum; præscriptionem legitimam dare justum titulum in conscientia, quod jam fere indubitatum est; et ideo illud hic confirmare necesse non est, aliquid vero attingemus in libro sequenti. Dictum est autem amissionem privilegii per non usum in dicto casu provenire ex alterius præscriptione contraria; ergo

in conscientia amittitur, quia non est compatibile cum jure acquisito a præscribente. Unde etiam fit, quacumque ex causa impediatur præscriptio, consequenter non amitti privilegium, non obstante quocumque non usu. Ex hac ratione, dicunt juristæ, si aliquis multo tempore non utatur privilegio propter aliquam conventionem per quam aliquid ei datur in singulos annos aut dies ne utatur privilegio, tunc nunquam amittere illud, quia per illam conventionem et præstationem fit ut contra illum non præscribatur: et aliud simile videri potest in Felin. in c. *Illud*, de Præscr., concl. 11; et Balb., dicta quæst. 4, num. 6.

28. *Quando privilegia non amittantur in foro conscientiæ.* — Secundo, dicendum est privilegia omnino absoluta et aliis non onerosa, contra quæ ab aliis non præscribitur, non amitti in conscientia per solum non usum cujuscumque temporis, regulariter loquendo. Hanc ultimam particulam addo ad excludendos casus specialiter in jure expressos, si qui fortasse sunt, de quibus statim dicam. Et sic assertio est clara, quia talia privilegia non amittuntur per modum præscriptionis, ut ostensum est, et ita cessat in eis ratio facta. Denique cessat voluntaria renuntiatio, maxime quando præsumptio non est veritati conformis, ut ratio supra facta convincit. Verumtamen etiamsi non usus oriatur ex interno animo et voluntate non habendi privilegium, adhuc non sufficit ut in conscientia censeatur amissum, donec auferatur. Quia, ut dixi, illa renuntiatio non solum non est acceptata, verum etiam nec est sufficienter significata exterius: nam solus non usus non satis indicat talem voluntatem, ut supra etiam probavi, nec invenitur jus faciens hujusmodi interpretationem in talibus privilegiis, aut disponens quod ipso facto amittantur, propter solum non usum; ergo nullum habemus fundamentum ad asserendum in conscientia amitti.

29. *De foro exteriori quid sentiendum.* — An vero in foro externo veniat quis privandus hujusmodi privilegiis non est mei muneris definire; fateor tamen nullum me vidisse, vel allegatum invenisse jus quod talem pœnam vel quasi pœnam imponat, nec etiam invenire me in talibus privilegiis fundamentum talis pœnæ vel privationis privilegii, cum in illo non usu per se non inveniat culpa, nec aliorum incommodum aut gravamen. Et quamvis regula communiter recepta de amissione privilegii per non usum videatur esse contraria

huic assertioni, si tamen attente legantur exceptiones quæ addi solent illi regulæ, majori ratione excipienda judicabuntur hæc privilegia. Ait enim Felin., in dicto cap. *Cum accessissent*, num. 26, in fine, et 27, privilegium quod consistit in mera et expressa facultate non amitti per non usum, et dicit esse communem sententiam. Ipse vero ait necessarium esse ut in privilegio expresse dicatur, *Quando volueris*, vel quid simile. Sed certe, ut bene ibi notat Abb., hoc parum refert, quia in ipsa ratione privilegii includitur illa conditio, et ideo ille effectus non nascitur ex sola expressione illius particulæ. Melius ergo dicitur talia privilegia, cum natura sua in mera voluntate consistant et contra illa alii non præscribant, non amitti per non usum in ullo foro.

30. *Privilegia quæ ex dispositione juris per decennium amittuntur quomodo intelligenda.* — Tertio, dico in privilegiis quæ ex peculiari dispositione juris per decennium non utendo amittuntur, probabile esse in conscientia amitti, licet sit incertum. Probo simul utramque partem; nam imprimis probabile est per hujusmodi leges induci præscriptionem respectu aliorum quibus possunt esse onerosa talia privilegia, ut declaravi: et juxta hoc principium procedit probabiliter prima assertio etiam in his privilegiis, non tamen cum certitudine, quia hoc proximum principium de præscriptione in eo casu interveniente dubium est. Deinde intelligi potest hæc privatio per modum pœnæ ipso jure impositæ propter non acceptam possessionem privilegii, vel propter quemdam quasi contemptum ejus. Hoc autem modo magis erit incerta assertio, tum quia non invenitur sufficiens fundamentum talis pœnæ, tum quia leges loquentes de hoc modo perdendi privilegium non addunt particulam *ipso facto*, vel *jure*, vel *absque alia declaratione*, aut similem, ut patet in dicta leg. 1, et in legib. Partit.; ergo, saltem donec priventur juridice, non tenebuntur in conscientia abstinere ab usu privilegii. Aliunde vero est valde probabile talia privilegia quoad durationem suam fieri conditionata ex vi talium legum: quando autem privilegium non conceditur nisi sub tali conditione, illa non posita cessat privilegium, non præsumptione tantum, sed vere, ac in re ipsa, ac subinde in conscientia: ergo etiam in illo casu amittitur statim in conscientia. Consequentia cum minori claræ sunt. Major autem, licet non sit omnino evi-

dens, probabilior tamen videtur attente consideratis verbis et dispositionibus dictarum legum, et ideo ex hoc fundamento probabilior videtur hæc sententia quoad hæc privilegia. Et in illis et in aliis de quibus prima conclusio loquitur, sufficienter videtur procedere communis sententia, quæ absolute loquitur de amissione talium privilegiorum per non usum; unde videtur plane intelligere de amissione vera et in re ipsa, ac subinde ipso facto, et non tantum præsumptione juris, vel in pœnam per judicem imponendam.

CAPUT XXXV.

QUANDO ET QUOMODO AMITTATUR PRIVILEGIUM PER CONTRARIUM USUM.

1. *De amissione privilegii per contrarium usum.* — Hic modus amittendi privilegium proprie habet locum in privilegiis negativis quæ dant facultatem non faciendi aliquid jure ordinario alias debitum, ut non solvendi tributa debita, vel non subeundi onera, et similia, ut recte explicuit rex Alphonsus in l. 42, t. 18, p. 3. Usus autem contrarius his privilegiis est actio contraria negationi seu omissioni per privilegium concessæ, ut solvere tributum, subire onus a quo privilegium excusabat. Dicitur autem hæc oppositio contraria, quia licet inter positivum actum et negationem ejus tantum videatur esse oppositio contradictoria, nihilominus actus ille positivus cum ipso privilegio seu ejus concessione habet positivam oppositionem, et ideo merito contrarietas appellatur, sicut assensus propositionum contradictoriarum inter se contrarii sunt. Et ita in hoc multum differt usus contrarius privilegio a non usu, quia non usus revera non habet propriam oppositionem cum privilegio, sed tantum cum exercitio ejus, seu cum actu illius, cui contradictorie opponitur. Usus autem contrarius privilegio negativo non tantum opponitur usui privilegii, sed etiam positive repugnat ipsi privilegio, quia qui sic operatur, actu ipso profitetur se non habere talem favorem vel exemptionem.

2. *Magistralis regula.*—*Privilegium amittitur per contrarium usum, si adsint circumstantiæ necessariae.* — Hinc ergo magistralis regula in hoc puncto est, privilegium amitti per contrarium usum si circumstantiæ necessariae concurrant. Ita sentit Gloss. per textum in c. *Gratum*, de Offic. deleg. verb. *Recessum*;

Gloss. in c. *Ex ore*, de His quæ fiunt a major. part., etc., verb. *Renuntiasset*, etiam per illum textum. Item Glossa per textum in cap. ult. de Vit. et honest. cler., verb. *Cum facto*. Quæ Glossæ alia jura, tam canonica, quam civilia adducunt, quæ in discursu attingemus. Et idem sentiunt interpretes eisdem locis, et in c. *Cum accessissent*, de Const., et c. *Si de terra*, et c. *Accedentibus*, de Privil.; Bart. in l. 1, c. de His qui sponte, etc., l. 10 et in l. ult. ff. de Const. Princ., ubi etiam Jason, et alii. Ad explicandam autem, et fundandam dictam regulam, oportet tractare fere eadem puncta, quæ in superiore capite tractata sunt.

3. *Prima sectio.* — *Usus contrarius quid.* — Primo ergo declarandum est quis usus dicatur in præsentem contrarius privilegio ut illud possit extinguere. In quo imprimis suppono necessarium esse ut actus sit ipsiusmet privilegii: nam si sit ab alio pro quo non est datum privilegium, non erit privilegio contrarius, cum contraria debeant circa idem versari, cujus rei exempla paulo post subjiciemus. Deinde addo actum debere esse repugnantem non tantum materiali omissioni talis actus, ut sic dicam, seu carentiæ ejus, sed etiam debere opponi exemptioni quam privilegium concedebat, ita ut intelligatur actus fieri ex obligatione, vel subdendo se obligationi quam privilegium auferebat. Hoc constat, quia alias actus non est contrarius privilegio, ut, verbi gratia, si quis habeat privilegium non jejunandi, et postea jejundet diebus non præceptis, actus ille non censebitur contrarius privilegio, quia privilegium non pro illis diebus datus est, sed pro diebus in quibus jejunium præcipitur. Hinc dixit Bart., in dicta l. 1, quem Panorm. et alii sequuntur in dict. c. *Cum accessissent*, eum qui aliquid operatur quod videtur contrarium privilegio, si protestetur, ita id agere ut non præjudicet juri sui privilegii, non efficere usum privilegio contrarium, ideoque per similes actus non amittere privilegium, quia ex vi illius protestationis profitetur non id facere ex obligatione contraria exemptioni privilegii, neque animo renuntiandi privilegio, sed ex mera voluntate vel liberalitate.

4. *Exemplum.* — Idemque est exemplo illo non jejunandi, si quis ex devotione tantum jejundet in die aliquo quadragesimæ, etc. Item in privilegio non recitandi, si quis ex devotione recitet, et similibus. Et declaratur hoc amplius quia, etiam ad hunc modum amittendi privilegium, necessarium est ut aliquis

sciens et videns contra privilegium operetur. Nam qua ratione conditiones hujusmodi necessariae sunt ad non usum, eadem sunt necessariae ad usum contrarium, quia etiam hic usus debet esse voluntarius, ut vel contineat virtualement renuntiationem privilegii, vel alia ratione præjudicet operanti; ergo necessarium etiam est ut ille usus sit voluntarius, non tantum materialiter (ut sic dicam) quatenus talis actus est, sed etiam formaliter, ut est contrarius privilegio. Nam si quis ita operetur non putans vel non advertens illud esse contra privilegium, non erit actus sufficienter voluntarius ad prædictum effectum; idem ergo est quoties aliquis directe præcavet ne contra privilegium operari videatur.

5. *Secundum necessarium, ut fiat a persona quæ possit renuntiare privilegio.* — *Duobus modis actus privilegiati inefficax esse potest.* — *Primo.* — Secundo, principaliter necessarium est ut usus ille contrarius sit in tali persona efficax contra privilegium, id est, ut fiat a persona quæ possit renuntiare privilegio. Quia si quis est impotens ad renuntiandum privilegio, multo magis erit impotens ad destruendum illud per suos contrarios actus, quia nec tales actus recipient efficaciam a voluntate operantis, ut per se constat; nec ab aliquo jure, quia potius jus prohibet tales actus tali personæ; ergo non potest dare illi efficaciam ad tollendum privilegium. Quapropter, sicut talis persona ipso jure est impotens ad renuntiandum privilegio, ita etiam ad destruendum illud, vel ad expellendum illud a se per actus contrarios. Duobus autem modis contingit actum privilegii conantis contra privilegium, esse inefficacem ad tollendum illud. Primo, quia privilegium pertinet ad jus publicum et commune, et ratione illius non solum conceditur singulis de communitate facultas utendi privilegio, sed etiam imponitur illis necessitas, quia quilibet usus contrarius privatae personæ redundaret in damnum totius communitatis. Et tunc actus contrarius non solum non valet ad renuntiandum in totum privilegio etiam pro actibus seu temporibus futuris, verum etiam non valet ad renuntiandum in præsentem pro uno actu. Casus est in cap. *Contingit*, de Sententia excommunicat.; nam clericus renuntians immunitati canonis, et voluntarie se supponens violentæ percussioni, nihil operatur, sed privilegium retinet, etiam quoad illum actum, et ideo percussus illum etiam volentem, excommunicationem canonis in-